De 15

# JURE SINGULORUM, CIRCA RES HOSTILES MOBILES IN BELLO A SE CAPTAS,

*EX §. XVII. INSTITUT. IMPERIAL.*

DE RERUM DIVISIONE;

Cum

FAVENTIA DIVINI NUMINIS,

*ET*

*CONSENSU MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS:*

PRÆSIDE,

*VIRO NOBILI, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMOQVE*

**DN. JOACHIMO NERGERO,**

U. J. D. ET PROF. PANDECTAR. PUBL. CURIÆ ELECTOR. SCABINATUS ET FACULT. JURIDICÆ, QVÆ HIC LOCI SUNT, NEC NON JUDICII PROVINCIALIS, QVOD IN INFERIORI LUSATIA EST, ASSESSORE GRAVISSIMO,

*PRÆCEPTORE, HOSPITE ATQVE PROMOTORE SUO SINGULARITER COLENDO;*

IN FAMIGERATISSIMO AD ALBIM ATHENAEO,

DISPUTABIT

**WOLFF DAVID â Döring/**

NOB. MISN.

*add. XXVII. Septembr. Anno M. DC. LXV.*

IN JCTORUM ACROATERIO;

HORIS ANTEMERIDIANIS.

WITTENBERGÆ, Typis MICHAELIS Wendt.

Digitized by Google

21

Nimus eſt, analyſi ſubjicere §. *XVII. Inſtitut. Imperial. de Rer. Diviſ.* cujus verba hæc ſunt:

*Item ea, quæ ex hoſtibus capimus, Jure Gentium ſtatim noſtra ſiunt; adeò quidem, ut & liberi homines in ſervitutem noſtram deducantur: qui tamen, ſi evaſerint noſtram poteſtatem & ad ſuos reverſi fuerint, priſtinum ſtatum recipiunt.*

Ut verò opella hæc intra certos decurrat limites, de duobus diſpecturus ſum thematibus, quorum primum eſt, quod capta mobilia, ex hoſtibus nondum devictis, Gentium Lege fiant capientium; alterum deinde eſt, quod & ipſi homines juri victorum cedant. Faxit Jurium Sator & Stator, DEUS, ut hic labor cedat Ejus Honori, & inſerviat proximo.

# THEMA PRIMUM.

## Capta mobilia in Bello, devictis necdum hoſtibus, Gentium Lege, ſingulorum capientium fiunt.

§. I.

REalem & neceſſariam Juris Gentium diſtinctionem eſſe in Primævum & Secundævum, *cum Bachov. ad Tr. Vol. 1. Diſput. 1. th. 4. l. d. ſtatuo*: definitur §. *1, inf. & iterum* §. *2. in medio.* *Eſt Gentiũ Jus duplex.*

 *J. de*

*J. de J. N. G. C.* Jus Gentium aliter atq; aliter. & quidem §.1. quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id eſt. Naturale Jus eſt, quod Naturæ humanæ inſtinctu, citra ullum rationis diſcurſum protinùs, ubi de eo aut mens cogitat, aut audit, pro jure agnoſcit, quia eſt notitia honeſtorum turpiumve. §. 2. verò uſus fecit & humanæ neceſſitates, ut Gentes ſibi jura conſtituerent i. per ratiocinationem & diſcurſum commodorum vitæ, ex ſimplici Juris notitia, Jus Gentium Secundarium effluxit, & ad opportunitates Societatis humanæ parandas retinendasq;, introductum eſt. Non eſt auſcultandus *Maſtertius l.1.d.Juſtit.LL. Roman. Dubitat.9.* qui credit *d.* §. *1.* definiri Jus Gentium (quod rectè quidem habet) §. *2.* verò non novam definitionem, ſed definitionis in §. *1.* propoſitæ ulteriorem tantùm explicationem, ac ipſius Juris G. originem proponi, in verbis, *nam uſu exigente &c.* Reſpondeo, Imp. *in dd* §§. *1. & 2.* exactè ſubjecta duplicis Juris G. adæquata diſtinguit, nempe ut Primævum ſit hominum quà hominum; Secundævum verò Gentium quà Gentium: ac ita eſt; immediatè à Natura primum illud prodiit, ac cordibus hominum inſculptum eſt. Secundum verò mediatè ſcilicet per ratiocinium rerum requiſitarum ad uſum & neceſſitatem Gentium. Audiatur *D. Limnæus Annot. ad Art. 9.* ibi zum fürderlichſten / *Capit. Caroli V. num. 12. fol. 175.* Velim quoque & illud notari, Imperatorem definire Jus Gentium primævum (§ *1.] d.l.* quod potiùs homini ut homini, quàm hominibus ut gentibus competit. Nam hoc quod hominibus, ut gentibus conſideratis, adſcribitur, non immediatè à Natura eſt, ſed à ratiocinatione & utilitate ortum trahit; *& mox*: Et ut clarius me explicem: Jus hominum naturalis ratio conſtituit; Jus Gentium conſtituunt Gentes, uſu & neceſſitatibus exigentibus.

*Secundariū aliud ſimplex, aliud* §. 2. Quoniam verò Juris Gentium Statuta variant, admitto facilè ſubdiſtinctionem inter neceſſitatem Conſequen-

*hypotheticum ſtatuitur.*

quentis & conſequentiæ, ex illa enim enata ſunt Commerciorum, ex hac autem, præſuppoſitâ aliena invadendi cupiditate & malitiâ, Bellorum & Servitutium Jura. Quod Bella attinet: probat hoc iterum *d. §. 2. J.* ubi dum Cæſar Juris Gentium Quidditatem in definitione oſtenderat, illuſtrat eam, ut clarior fieret, uno atque altero exemplis, ac primùm ponit Bella; ad imitationem Hermogeniani *in l. 5. D. de J. & J.* Bellum igitur gerere decet, ac ita quandoq; res pulcherrima ac honeſtisſima eſt: Ne verò Belli vocabulo id intelligas, ubi tumultu & vi res geritur, moneris in Gentium Juris Secundævi naturâ, per Bella, capi oportere Jura Belli: ſiquidem in definitione Jura uſu & Neceaſitate excogitata, ut genus, ſtatim ad ſpecies e.gr. Bella, transferuntur.

*Bella ad hypotheticum Jus G. ſecundarium pertinent.*

Ac, cum Gentium Jus, quod ſecundum dico, ex primo, ſ. ex Naturæ Humanæ jure & principiis effloruerit, hæc verò ſemper Bona atque æqua ſint, Juſta oportebit eſſe Bella, quæ Gentes introduxerunt; facile hoc oſtenſu eſt ex *d. §. 17. J. d. Rerum diviſione*, hiſce verbis, *quæ ex hoſtibus capimus.* Qui enim ſunt hoſtes? Sc. ii quibus Bellum publicè Populus Romanus decrevit, vel illi Populo Romano, cæteri latrunculi, vel prædones appellantur *l. 24. D. de captiv. & poſtl. reverſ. & l. 118. D. d. V. S.* Pauca ſunt, ſed quæ ad Juſtitiæ Belli eſſentiam intimandam abundè ſufficiunt: retinuit verò *Ulpianus d. l. 24. ibi Populus Romanus*, vel veſtigia antiquæ Populi Majeſtatis, vel per Eundem intellectum voluit Caput Populi, quod Princeps eſt, quod valdè veroſimile, cum *Ulpianus* vixerit ſub Statu Monarchicæ Majeſtatis Romanæ, ad quem antiqua Jura ſe transformâſſe, nullus credere dubito: Primum igitur & potisſimum eſt, quod Bellum juſtum efficit, *Autoritas Ejus, qui in Republ. τὸ κῦρος pollet.* Deinde publicè idem decernendum eſt; in quo Decreto almæ mentis JCtus mihi complexus videtur & Cauſas Belli, & modum gerendi;

*Quæ juſta ſunt.*

*Ob publicam à Majeſtate factam indictionem.*

*Ob cauſas ac gerendi modum.*

nec enim putandum, catisſimos Illos Romuli Nepotum incogitantiâ & quadam animi levitate, ad arma proſiliiſſe, ſed diu deliberarunt, quod ſtatuendum erat ſemel: proinde ſi Reipubl. facta injuria vindicanda ſit, ſi bona uſurpata repetenda, ſi pro Religionis veræ tuitione ac pro ſalute Civium pugnandum ſit, decernatur Bellum: ſed PUBLICE Ulpianus vult, i.e. ut ego interpretarer, *nomine Civium*, non quidem ut in Monarchia ad Jura Belli, quæ ſolius Principis ſunt, admitterem ſubjectos, ſed dum juſtas Princeps in Conſiſtoriano Conſeſſu ad bellandum audivit Cauſas, habetq;, populi inſuper parentis conſenſum adhibeat; ac deinde per Feciales intimetur Bellum. *Sed Quibus?* Reſpondet Ulpian. ibi, *Quibus vel ipſi.* Uti verò Populus Romanus, aut Princeps, Aliusve Par Populo vel Principi, *ἐξουσίᾳ* coruſcare debet, ſi belligerare juſtè velit; ita ex adverſo ſummum in Republ. axioma habeat neceſſe eſt, cum quo Bellum juſtum gerendum; quod ex Oppoſito oſtendit JCtus, dum latrones & prædones dicit, qui non juſto indicto bello deprædantur, ipſisq; belli effecta adimit.

§. 3. Indagatis ita Bellorum Natalibus, ac eorum per *ἐπιγραφὰς* oſtenſâ Juſtitiâ, in rem præſentem ibo, ac de præfixi thematis *κατ᾽ ἐξοχὴν* tractabo. Ubi ante omnia conditio illa: *Hoſtibus nondum devictis*, adſtruenda erit: Probo verò eandem, ex hiſce Textus verbis: *quæ ex hoſtibus capimus;* nec enim hoſtes amplius ſunt, quos devicimus, ac ſi ſubjugatos Juſtinianus intellexiſſet, facilè *cepimus* ſcribere potuiſſet. Alterum eſt, quod præmoneo, quod quæ capimus bello, mobilia ſint neceſſe eſt, ut ſtatim ſequitur. Hæc itaq; bello capta occupantium fiunt i. e. eo momento, quo ea gregarius miles capit, ipſius irrevocabiliter & abſolutè ſunt. Quod probo I. ex d. textu §. 17. J. ubi verba luce meridiana clariora. Quod verò ſinguli capientium intel-

*Hoſtes ſint oportet, ut mobilia ſiant ſingulorum occupantium.*

*Occupantes ſibi acquirere probatur tribus argumentis.*

intelligantur, ex §.*11. J. eod. tit. de Rerum diviſ.* patet, ubi Cæſar profitetur, ſe de illis modis acquiſitionum tractaturum eſſe, quibus Res ſingulorum hominum fiant; ac ne dubitandi anſa præberetur, præcidit eam verbo STATIM, & cum ipſa captura, ut antecedenti, combinat quaſi dominii acquiſitionem ut conſequens; ac, niſi fallor, & in *d.* §. *17. &* §.*11.* verbo FIUNT, apertè fatetur literatisſimus Cæſar, Jure Gentium ita comparatum eſſe cum rebus hoſticis, ut occupantium pleno jure fiant, nec velle ſe, nec facilè poſſe, in Gentium juribus aliquid immutare, aut quod ſuum non ſit, ſibi affectare; ac, ut ita credam, perſuadeor hoc, quod adjectum ſit: *Jure Gentium*; quaſi dicat Cæſar: Circa hanc acquiſitionem bellicam nihil arbitramenti & determinationis citra urgentisſimas rationes mihi ſumo. Aliter verò ſeſe res habet circa modos acquiſitionis Civilis, *uti pr. in J. de uſucap.* ita ſcriptum eſt: *Jure Civili conſtitutum fuerat.* II. Quoniam res hoſtium nullius eſſe creditæ fuerunt per *l.1.§.1.D.de A.vel A.P.* ubi ratione immediatæ acquiſitionis Paulus JCtus, quod de acquiſitoribus rerum, quæ terra, mari, celoq; capiuntur & inſulæ in mari enatæ, & geminarũ, lapillorumq;, & margaritarum in littoribus inventarum, idem dicit de iis, qui Bello res ceperunt; nec poteris has locutiones; *hæ protinus eorum fiunt, qui primi poſſeſſionem eorum apprehenderint: & ejus fiunt, qui primus eorum poſſesſionem nactus eſt*, de interventu alicujus diribitoris interpretari, cum ut primus apprehenſor acquirat protinus, ac demum ex manu alterius habeat, hæc ſibi nullatenus reſpondeant. Verum igitur eſt, juxta §.*12. J. de Rer. Diviſ.* quod hoſticæ res privatæ occupationi ex naturali ratione cedant, quia nullius eſſe putantur. III. Per Textum in *l.51.§.1.D.d. ac qui: rer. dom.* ubi dicitur: *Et quæ hoſtiles res apud nos ſunt, non publicæ ſed occupantium ſunt*; hic acquiſitionem hoſtilium rerum Reipubl. abjudicat JCtus &

tan-

tantùm occupantibus tribuit. Sed ex hoc loco nihil juvari meam ſententiam, *Anton. Merend. Controv. Jur. lib. 2. c. 22. n. 31. f. 232.* ſcribit: cum textus loquatur de rebus hoſtium, quæ caſu vel Dominorum imprudentiâ in ditionem & locos Imperii Romani venerunt, quæſtio verò ſit de rebus hoſtium in bello captis, & de rebus exiſtentibus in locis hoſtium, inter quos latum ſit diſcrimen, cum res hoſtium caſu in Imperium noſtrum delatæ, ſtatim dominium earū amittant. *l. 5. §. 2. D. de captiv.* ac ita ut res nullius occupanti concedantur; quod non accidat, dum res ſint extra locos Imperii & in locis hoſtium, donec enim à noſtris non fuerint plenè acquiſitæ, dominorum permaneant *d. l. 5. §. 1.* Egregia hæc objectio eſt, & quæ experientisſimi ingenium laſſare poterat quam, ut nervus pateat, compendifacio. Res hoſticæ quidem, quia eo ipſo, dum in locis Imperii extant, protinus nullius ſunt, cedunt occupanti, ſed non ſimiliter res hoſtiles in hoſtico ſolo exiſtentes. Sed per hanc difficultatem eundum eſt: Suſpecta verò aut nulla eſt jactata Merendæ diſtinctio ratione ſc. acquiſitionis hujus privatæ; cum ex collatione §. 12. & noſtri §. 17. *J. d. t. & ex l. 1. §. 1. D. d. A. vel A. P.* affatim conſtet, res bello captas eſſe res nullius & quidem ſine diſcrimine, ubi eæ extent, an in locis hoſtium, an Imperii noſtri: Deinde nego, quod rerum hoſtilium, quæ apud nos caſu fortè ſunt, dominio ſtatim exciderint domini, cum juxta *d. l. 51. §. 1.* res illæ occupandæ ſint, quod ex eo ipſo §. 2. *d. l. 5.* à Merenda citatæ clareſcit, ubi *liber homo Romanus hoſtium fit, ſi capiatur, nec tantum, ſed & ſi intra præſidia perducatur d. l. 5. §. 1.*, *non verò ſi ibi tantum extiterit.* Tandem quæ, Merendæ ſunt res hoſtiles in ſolo hoſtili extantes plenè acquiſitæ? ſc. juxta à ſe citatum *d. §. 1. l. 5.* quæ captæ à milite & intra præſidia perductæ: hic, quod facilè animadvertere eſt, Merenda ratione Reipubl. & gregarii militis non diſtinguit, ſed occupanti cuicunq; rem

*Objectio Merendæ.*

*In compendium conjecta.*

*refutatur.*

rem hoſticam permittit, modò in præſidium ſit collocata: ut ita, vel ſe fatente, nihil interſit, ſive privati capiant res in hoſtico ſolo ſive extra hoc, modò ſint hoſtiles.

§. 4. Commodum eſt, ut quid machinæ adverſus §. 17. adferatur, & quo potiſſimo textu ac quibus aliis adminiculis adverſaria Sententia nitatur, *καθ' ἀνασκευὴν* videamus. In anteceſſum verò notes, quod, Qui hic Interpretes dicam ſcribunt, occupationem hanc privatam Principis beneficio transſcribant; Placet unius atq; alterius verba citaſſe. *Andr. Alciat. ad l. 1. n. 7. D. de A. vel A. P.* Quæ ergò in bello capiuntur, habet, capientium efficiuntur, idq; vetuſtiſſimum eſt Gentium Jus, quod tamen aliquatenus Jure Civili temperatum eſt. *Franciſcus Balduinus*, Promus Condus Publici Privatiq; juris *ad d. §. 17. num. 8.* ſcribit: Ergo nunc ita demùm, quæ ab hoſtibus capta ſunt, ſtatim fiunt occupantium, ſi Principis acceſſerit beneficium: *Franciſcus Broeus in Academia Biturigenſi Profeſſor ad d. §. 17. n. 7.* Ex verbis Juſtiniani innuitur, non occupanti acquiri: cum hic præter morem dicat, Statim noſtra fiunt, in ſervitutem noſtram, in poteſtatem noſtram: quibus verbis videtur Fiſcum ſuum vel Ærarium Populi demonſtrare: ergò Fiſco vel Ærario acquiri, veruntamen cùm agat de modis, quibus res ſingulis Jure Gentium acquiruntur, ut ex §. ſingulorum. S. elicitur, quæ ex hoſtibus capiuntur, Jure gentium fiunt occupantis: at Jure Civili fiunt Reipubl. Deinde *num. 3.* Gentium quarundam mores citat: & tandem *n. 4.* ait: hæc Lex ſervabatur, ut res mobilis capta militibus divideretur: & *Anton. Merend. Controverſ. Juris. Lib. II. c. 22. n. 27 fol. 230.* Pro prima opinione, ſcribit, tres Juris noſtri loci imprimis adducuntur, in quibus dicitur, res in bello captas occupantibus acquiri Jure Gentium. Reſpondeo, id intelligendum eſſe, ſi Jure milites eas occupaverint, eo modo,

*Ἀνασκευὴ Adverſariorum recenſetur.*

quò cùm dicimus, venditionem, permutationem, donationem eſſe modos dominii transferendi, intelligimus, ſi modò jure fuerint factæ. Itaq; cum ſine licentia Ducis milites res hoſtium non poſſint occupare, ſequitur, locos, qui dicunt, res hoſtium occupantium fieri, intelligendos eſſe, ſi modò permiſſu Ducis id fecerint, quod clarè mihi videtur probare textus *in c. Jus militare 1. diſt. & N. 28* Hoc idem ratio evincit, ſi enim ſtatim atq; milites adverſus hoſtes ducti ſunt, poſſent ſine Ducis licentia agros hoſtium peragrare, ut eorum res occuparent, nonne maxima rerum perturbatio eſſet? nonne milites cum maximo Reip. periculo quotidiè hoſtium inſidiis ſeſe exponerent, nonne omnia populando eorum animos exacerbarent? &c. *& n. 29. fol. 231.* A Regulis Juris Gentium Jus Civile Romanorum receſſit, quia Juſtiniani verbis repugnat (ſc. Interpretatio Alciati & Mynſingeri, quod hujusmodi loci ſecundum Juris G. regulas debeant intelligi) dum ait: *Item ea, quæ ex hoſtibus capimus, ſtatim Jure Gentium noſtra fiunt:* hæc enim verba ad alios, quàm ad Romanos eorumq; ſubditos referri non poſſunt, & ideò ex ſententia Juſtiniani, id quod Jure Gentium ſtatutum fuit, circa hanc rem à Romanis obſervatur. Inter alia verò, ut palladium ſuum, laudat Merenda *textum in l. 31. D. de Jure Fiſci,* ubi dicitur: *Divus Commodus reſcripſit, Obſidum bona, ſicut captivorum, omnimodò in Fiſcum eſſe cogenda.* ac commentando illuſtrat primò, quod bona obſidum & captivorum, quoad redactionem in Fiſcum, æquiparentur: Secundò, quod ea veriſimiliter mobilia ſint, cum obſides apud hoſtes vix immobilia comparent: Tertiò, quia ex hoſtium ſint numero, quibuscum nullum commercium *l. 4 l. f. C. de Commerc.* & tandem ab uſu & regulis Romanæ diſciplinæ militaris cauſam ſuam probat, ac opponit *l. pen. C. de donationibus.*

§. 5. Gra-

§. 5. Gravis Adverſaria mihi conſtituta eſt, ſed audendum animo pro Juris veritate dimicandum eſt. Præmonere oportet, proletarium eſſe quod *Brocus* habet, quod Imper. præter morem dicat, *ſtatim noſtra fiunt*; i.e. in fiſcum coguntur; ſiquidem hocce genus loquendi rem privatam indicans, non infrequens eſt, *v.l.11.D.de R.J.* Caput igitur opinionis Diſſentientium eſt, acquiſitionem hanc, quæ Gentium Juris eſt, à Romanis eſſe temperatam tùm ob à Merenda rationes laudatas, tùm quod non niſi de Romanis Juſtinianus *in d.* §. *17.* intelligi queat, tùm quod *d.l.31. D. de* Jure fiſci. verba id imperent, ac eorundem juſta interpretatio, uſu diſciplinæ bellicæ Rom. adjuta, idem ſuadeat. Sed, de quo mihi gratulor, valdè mihi ſuppetiatur *d.* §. *17.* ubi acquiſitionis bellicæ unicam, proximam & adæquatam Cauſam eſſe aſſeverat Cæſar *Jus Gentium*: ac quod de temperamento Juris Civilis additur, fit contra mentem Cæſaris, qui *in* §. *11. J. de R. diviſ.* clarisſimè teſtatur, ſe de modis acquirendi vetuſtioris Juris, quod Gentium eſt, incæpturum eſſe, ac licet *in* §. *39. J. d. l.* cum Gentium Lege ſuas miſcuerint Sanctiones Rerum Domini, id autem in dicto §. *17.* æquè factum eſſe, non apparet. Sibi verò ſoli credit Merenda, ex eo ſtatim, quò ductus adverſus hoſtem eſſet miles, involare in res licuiſſe; confligentem cum hoſte militem volo, qui ut in excurſionibus aut conflictu & prælio, proſtratis auferat eqvum, arma, aliaq; ex licentiâ Juris Gentium capiat, quid abſurdi? & quid inde in publicam Rem periculi? & quid fortè exacerbatus hoſtis animus curandus, ſi excandeſcit dum undiquaque ſibi reſtitantem militem videt? Sed gravior, ut me de Statu dejiciat, à Merenda adhibetur machina: quaſi *in d.* §. *17.* de ſuis Juſtinianus ſcripſerit ſubditis; id quod concedendum, niſi in Politicis infantisſimus videri quis velit, cum Principes ſuis ſub- *ac refelli- tur.*

 ditis

ditis figant refigantq́;Leges,quod inſtar omnium §.1.*Proœmii Inſtit.* probat. Telum verò hoc ita retundere conor. Scribit Merenda; Id,quod Jure Gentium ſtatutum fuit, circa hanc rem à Romanis obſervatur: ubi quidem Vir aliàs excellenter doctus, per obſervationem illam,ne à ſeipſo disſideret, fortè intelligit additamentum Principis Romani, ad illa Gentium Juris Statuta; aut ſi illud non intelligit,ſed hoc,quod,quas Sanctiones ſibi Gentes ex ratiociniis fecerunt,eas vel ſingulas vel quasdam obſervarint Romani, acceptaverim hunc ſenſum; ſic enim Romani Cives Juris G. Statuta,ut talia,non autem *δυνάμει ἀναγκαστικῇ* J. Civilis armata,obſervaſſent: ac porrò milites Romani capta ab hoſtibus Jure Gentium, non ex additamento J. Romani ſua feciſſent: & profectò Libri Noſtri Corporis Juris Civilis refertisſimi ſunt Præceptorum Juris Naturalis & Gentium. *Legem 31. D. de Jure Fiſci* quod attinet:Sunt,qui voculam,ſicut,*παραδειγματικῶς* accipiunt: quaſi dictum eſſet,obſidum bona in Fiſcum cogenda,non ſic,ut aliorum,qui ſunt captivi, ſed ſic,ut ſi ipſi eſſent captivi eorum, quibus obſides dati ſunt, ut comparatio referatur non ad alios, ſed ad ipſos obſides, ſi conditione eſſent verè captivi; quæ expoſitio Merendianam æquiparationem obſidum & captivorum enervat prorſus, aut *συγκριτικῶς* vox capienda, quod porrò Donell. habet; ſi placet,comparationem ad alios referri,qui ſint captivi,id ſic interpretandum eſt,quaſi dictum eſſet, obſidum bona in Fiſcum cogenda, ſicut captivorum non omnium, ſed captivorum ejusdem conditionis,cujus ſunt obſides, nempe publicorum & qui ſunt iisdem Principis, ſeu Fiſci, alioquin malè compararentur obſides captivis. Quæ *Merendæ* analyſi reſtitat iterum,utpote cum hæc captivorum omnium,uti obſidum bona Fiſco adjicit. *Hilligerus* verò *ad Donell. d. l.* in *Notis.*

*l.f.*

*l.ſ fol.64.* putat, neutro Donelli effugio opus eſſe, ac, cum textus non de perſonis captivorum, ſed horum bonis tractet, per hæc intelligit fundos, prædia, poſſesſiones apud ſuos, ac deinde per dubitandi ac decidendi rationes textum reſolvit, quam reſolutionem quidem in dubiũ vocat *D. Ummius d. l.* ſed ut per omnia & Donelli & Ejusdem Enucleatoris reſolutionem rejiciam neceſſe non eſt. Recte igitur *Cujacius add. l. 31. pag. 1307.* de bonis obſidum defunctorum accipit, pauca huc transſcribo, nam ait. *l. 31. eſt ex 4. Inſtit. Martiani*, qui totus liber defunctorum: Ergo captivorum (publicorum vel captivorum obſidum) bona ad Fiſcum pertinere, ait. In captivis res *Vel obſidum*
eſt clara, quia ſervi moriuntur, *& mox:* In obſidibus videamus, *defuncto-*
quæ ſit ratio, cur obſidum, qui ſunt liberi homines, *rum.*
defunctorum bona pertinent ad Fiſcum. *Quia NOBIS PEREGRINI SUNT, NON CIVES.* Tacit. l. 11. Annal. Non obſidem, inquit, ſed Civem ire ad extraneum hæredem; & peregrini neq; legitimum neq; teſtamentarium hæredem habere poſſunt, vel ab inteſtato, vel ex teſtamento. Et ita videmus, apud nos Fiſcum occupare bona peregrinorum, qui dicuntur advenæ, niſi ſcil. donati ſint jure Civitatis & ita etiam Jure Civili, ut oſtenditur *in l. 32.* *Hæc ille;* Ex quibus non difficulter ſatis Merendæ rationibus fieri poteſt: neq; Militaris Romanorum diſciplina obicem ponit, cum loca conglomerata de rebus poſt devictũ hoſtem captis tractantia, ad unum ferè omnia à ſcopo & κρινομένω divertant longè. Ac tandem reſtat videre, quid obſtaculi *d. l. pen. §. 1. C. de donation.* ponat: verba concepta ſunt hæc:

*Simili etiam modo à geſtorum abſolvimus ordinatione donationes rerum mobilium vel ſeſe moventium, quas Viri Glorioſiſſimi Magiſtri Mili-*

*tum fortisſimis præſtant militibus, tàm ex ſua ſubſtantia, quàm ex ſpoliis hoſtium, ſive in ipſa bellorum occupatione ſive inquibuscunq́ locis degere noſcuntur.*

Sunt, qui ſpolia per prædam exponunt, quæ dicitur quicquid capitur, victis hoſtibus, dividendum ab Imperatore inter milites: quæ expoſitio meam ſententiam non ferit; utpote conceptam de rebus durante bello captis. Sed nonne verbis conveniens Interpretatio eſt, quod Magiſtri Militum, & ex propriis facultatibus, & ex hoſtilibus ſpoliis, quæ ipſi Reipubl. ceperunt, fortisſimis militibus pro navata opera donent?

*Diſtinctio Grotii.*

§. 6. Ad profligandam omnem dubietatem, diſtinguit *Grot. de J. P. & B. l. 3. c. 6. th. 10. & ſeqq. f. 476.* ac cum eo *Vinn. ad d §. 17. J b. t. n. 3.* Inter actus verè publicos Belli, & inter privatos, qui fiunt occaſione belli publici, per hos actus privatis res quæratur primò ac directè: per illos verò Populo. Actum autem Belli Publicum *Dn. Sinolt Schütz/ Diſput 5. ad J. th. XI.* deſcribit, quando milites Juſſu Præfectorum ſeu Imperatoris & Ducis Belli quid agunt: Privatum verò, quando permiſſu tantùm, ſ. occaſione Belli, per ſe, hoſtibus quid auferunt; ac *Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Diſp. 20. th. 2. lit. d.* citat, ſed indebitè.

*Fundamento caret*

De diſtinctione illa ordine diſpiciam, quam fundamento eſſe deſtitutam reor. Siquidem Majeſtas dum Bellum indixit, jam, diripiendi res hoſtiles, cuivis militi fecit copiam. Quicquid ergò hac ratione capitur, verba ſunt Famigeratisſimi *JCti, Dn. Joh. Thomæ Diſput. de Occupatione Bellica Jenæ Ann. 1648. excuſa, th. 13. n. 29.* ex cauſâ Belli, non (ut vult *Grotius*) ex belli tantum occaſione, utpote ad eripiendum hoſti dominium inhabili, capi putandum. Siq; Grotiana belli Definitio *lib. 1. c. 1. th. 2.* hæc, *quod non ſit actio,*

*actio, ſed Status per vim certantium qua tales ſunt*, in nullo peccat, & quod *Cl. Feldenus* ibidem *f. 4.* tuetur, Status loco generis retineri queat, denotet enim conditionem hominis, quatenus vel in ſocietate aliqua hominum, vel extra eandem vivit, utiq; milites, qui excurrendo cum hoſte pugnant, in Statu militari vivunt: audi verò ipſum *Grotium mihi conſentientem Annot. ad dict. Cap. 1. fol. 10. ex Philone: Hoſtes non ſoli exiſtimantur, qui jam navali aut terreſtri prælio certant, ſed pro talibus habendi, & qui machinas movent portubus aut mœnibus, etiamſi nondum pugnam incipiant.* Equidem fateor, quod hæc machinarum admotio illa *Grotii* actus occaſionalis belli non ſit, interim tamen nec publicus puto erit, prout hunc ipſe *d. l. 3. c. 6. n. XI.* deſcribit; imò dum *Grot. d. l. §. 8. fol. 476.* ſcribit

*Dubitandum non erit, quin Gentium conſenſu utrumvis potuerit conſtitui, aut ut capta, Populo bellum gerenti, aut ut cuivis, qui manu caperet, in dominium cederent. Sed quid voluerint, quæramus, & dicimus, Gentibus placuiſſe, ut res hoſtium, hoſtibus eſſent non alio loco, quàm quo ſunt nullius, ut ex Nervæ filii dicto jam anteà apertum fecimus.*

utiq; Vir ad ſtuporem aliàs eruditus dat, Conſenſione ac ita Jure Gentium Sancitum eſſe, ut res hoſtium, utpote Nullius, eſſent hoſtium, ac altùm ſilet, quaſi eodem jure inter actus Belli publicos & non publicos diſtinctum foret, ac cui uſui diſtinctio illa? dum Grotio pro comperto eſt, dictas res eſſe nullius loco, quas tales Gentium cenſura militi capienti indiſcriminatim permittit. Sibi verò § *9. Grotius* diſtinguit hic loci inter acquiſitionẽ mediatam & immediatam, cum §. *noſter 17.* capienti citra in-

ter-

terventum medii rem captam transſcribat, & dum ipſemet diſtinctionem Juri Civili acceptam refert, fruſtrà ea allata erit in hoc J. Gentium acquirendi modo. Sed cum *Grotii* Definitionem Belli, vel totam nonnulli nauſeent, aut Genus incommodum æſtiment (quaſi enim, iterum ſcribit literatiſſ. *Conſiliarius Dn. D. Thomæ d. Diſp. th. 4. n. 13.* Statum geri aut indici dixeris? aut Jure Status Res occupari, acquiri?) Laudo hanc *Dn. D. Thomæ d. l. n. 15.* Belli finitionem:

Definitio Belli.

*Quod ſit actus quidam ſucceſſivus, conſiſtens in perſecutione mutua hoſtili & inſequenti [illegible] occupatione &c.*

Perſecutionem appello, quam *Cicero* certationem, vocabulo ſtrictiori: enimverò ceſſante etiam certatione, conflictu, prælio, vel etiã cum in hibernis miles eſt, bellum adhuc eſt & perſecutio: non minus atque actio in judicio intentata perſecutio dicitur, confer *pr. J. de Action.* & lis inter actorem & Reum verſatur, etiam intra terminum forenſi diſceptationi dictum. *Hæc Dn. D. Thomæ*, quàm eruditè quam graphicè ex Jure Privato rem Publici Juris Papinianus noſtri temporis illuſtrat, ac eo ipſo diſtinctionem Grotianam enervat. Scilicet fateri nequit, quantum uſum in Jure Publico privatum habeat, quod cum Veteres Prudentes ſcirent, utriusq; cognitionem ſibi ſummâ curâ comparaverunt: Audi *Beſoldum in Diſſertat. Philologica de Arte Jureq; Bell. c. 1.* Veteres Romanos Juris Conſultos, privati licet Juris tanquam frequentioris & magis in uſu poſiti, fuiſſe ſtudioſiores: de Jure tamen Publico, haud rarenter etiam reſpondiſſe, in propatulo eſt: ejusq; rei in π. & C. veſtigia, quam plurima reperiuntur.

*

THE-

# Thema Secundum.

## Captos, Jure Gentium, ſervari, humanius eſt: Qui in Servitutem redacti, amittunt libertatem & Civitatem, ac inde dependentia Jura; itemq; Bona. Illa verò Poſtliminium reſtituit; hæc Lex Cornelia hæredibus aut Fiſco conſervat. Eſt hodiè quidam uſus Jurium Poſtliminii & Legis Corneliæ: Servitus Romana non eſt revocanda: Placuit verò Chriſtianis inter ſe belligerantibus, loco ejusdem, Lytron.

§. 1.

ALterum *in d.* §. 17. quod Jus Gentium capientibus attribuit, eſt, captorum in ſervitutem abductio, in hiſce verbis: *adeò quidem, ut etiam Liberi homines in ſervitutem noſtram deducantur.* Sic in §. 3. *J. de Jure Perſon.* Servi ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captivos vendere, ac hos ſervare nec occidere ſoleant. Licentia ergò eſt, jure belli captivos trucidare. Utiq; fatemur, quod licere aliquid dicitur, non quod ſalvâ pietate & officiorum regulis fieri poteſt, ſed quod apud homines pœnæ non ſubjacet. *Grot. de J.B.P. l. 3. c. 4. th. 2.* Fuere Gentes, ut Thulitæ, quæ quem primum in bello ceperant, Marti mactarunt. de Afris refert Polybius, quod Carthaginienſium captivos, ipſumque Ducem Geſtonem, præciſis manibus, fractisq; cruribus in ſcrobem conjecerint: ac Pœnorum Imperator Hasdrubal in hoc crudelitatis genere famoſus eſt, quod quosdam Romanos captivos, o-

*Humanum eſt, quod capti non occidantur.*

*Quos tamẽ occidiſſe impune eſt.*

culis, linguâ & pudendis mutilavit, cutemq; abraſit & ſpirantes adhuc in muris ſuſpendit. Poterant. Illa Gentium in captos adduci documenta; atque ita nihil fidei detrahendum Juſtiniano *in §. 1. J. de his, qui ſui vel alieni Jur.* nam apud omnes peræq; gentes, ſcribenti, animadvertere poſſumus, Dominis in ſervos vitæ necisque poteſtatem fuiſſe; nec neceſſe eſt, ut per Gentes omnes cum Grotio *d. J. P. B. l. 3. c. 7. th. 8.* partem notiorem intelligas.

*Cujus occiſionis ratio Grotii adæquata non eſt.*

Cujus rigiditatis laudata *Grotio d. l. 3. c. 4. th. 6.* ratio, quod ab illis quoq; damnum metui posſit, præ ſe quidem externam Juſtitiam fert, internâ tamen caret, cum excedat modum lædendi naturaliter conceſſum: Captivi enim non amplius reſiſtunt; & cum Natura inter omnes homines cognationem quandam conſtituit *l. 3. D. de Jur. & Juſt.* alienum eſt ab humanitate, crudeliter tractare eum, qui ad nutum noſtrum vivit. Bene *Seneca l. 1. de Clement.* Æqui, ſcribit, Boniq; natura jubet, ut captivis parcatur: ac *Livius l. 7. Decad. 7.* clara victoria fit, vincendo oppugnantes, non ſæviendo in afflictos. Abierunt paulatim moderatiores Populi ab illo vitæ necisq; arbitrio; tractarunt enim Parthi, Germani, Hiſpani, ipſiq; Græci ſervos humaniter, ac potisſimè Romani, *§. 2. J. de his qui ſui vel al. juris; d. §. 17. J. de rer. diviſ.* & congeneres loci. Inſignis igitur, verba ſunt *D. Heigii ad §. 2. J. de Jur. Perſon. n. 28., videri poteſt crudelitas Pontificis Clementis IV. & JCtorum ejus temporis, qui Cunradinum Regem bello captum, unicum illud nobiliſſimæ Familiæ Svevicæ Columen, non ſervandum, ſed occidendum, minus humane à Carolo conſulti cenſuerunt; & pulcrè* A*UCTOR* C*OMMENT. ad Herenn. lib. 4. Bene, ait, hoc Majores compararunt ut minimè Regem, quem armis cepiſſent, vitâ privarent: additur ratio elegans: Quod quam nobis facultatem fortuna dedisſet, iniquisſimum ſit, in eorum ſupplicio conſumere, quos fortuna antè in ampliſſimo Statu collocaſſet.* Hæc ille ſummus JCtus.

§. 2 Ex

§. 2. Ex definitione Servitutis, quæ eſt *in* §. *2. J. de Jure Perſon.* palàm eſt, hanc contra naturam eſſe: in definitione verò illa *Arniſæus in Relectione Politica lib. 1. c. 3. n. 20. fol. 88.* ſcribit, *verbum nullum eſt, quod non poſſit vellicari.* Quid enim ſervitutem potiùs vocat Conſtitutionem quàm libertatem, cum utraq; eodem reſpectu definiri debuerit: Et quod ex *Arniſæo* repetit *Stabl. Part. 2. Diſp. 14. Reg. 4. th. 6. fol. 343.* & paulò pòſt probat *Arniſ.* Nec illud, ſcribens, affero, quod verba: *contra naturam,* fruſtrà ponantur, quando dominio, propriè loquendo, nemo ex JCtorum ſententia ſubjicitur ſecundum naturam. Verum enim poterat *Arniſæus* Philoſophus, qui aliàs Juris Romani peritisſimus eſt, meliùs JCtos veteres tractaſſe: nullus negaverit, quin & Servus illam §. *1. J. de Jure Perſon.* libertatem habeat, ſed quia propter Statum & conditionem ſui prohibetur facere quod vult, expers & incapax fit illius libertatis, hinc ſervitus non malè à quibusdam carentia & vacuitas facultatis naturalis definitur; ac dicitur Conſtitutio Gentium, causâ pro effectu poſitâ, non enim ſervitus, ſcribit *Aldobrandinus ad d. §. 2. J. de Jure Perſ.* & plures Juris Interpretes habent, eſt ipſa conſtitutio (nec pars conſtituens) ſed illud quod ex ipſa Conſtitutione provenit, quâ ſc. ordinatum eſt, omnes captos ſervire & effici hoſtium. Breviùs: Servitus eſt ex Conſtitutione Gentium introducta. Fruſtrà verò verba: *Contra naturam, poſita eſſe, cùm dominio nemo, ſecundum naturam, ſubjiciatur;* concedi nequit, nam eſſet quidem etiamnum illa natura primæva ſeu naturalis libertas, quæ initiò omnium ante corruptionem fuit, niſi ob malitiam, aliam hominum conditionem exegiſſet Gentium conſenſus, qui ſervitutem ad puniendos hoſtes introduxit. Quod verò *Philoſophus l. 1. Polit. c. 3.* Naturâ eſſe ſervos ſcribit, id *Grotius de J. B. P. lib. 1. cap. 3. §. 8. fol. 53.* de illis, qui ad ſervitutem ſunt apti

*Arniſæus vellicat Servitutis definitionẽ.*

*Quâ defenditur.*

*Servi Philoſophorum Naturales.*

pti explicat rectè; ſunt enim quidam ita ſtupido Ingenio, ut nonniſi ſervire posſint: ac cur aliunde ad Philoſophum intelligendum mutuamur verba, *Ipſe ſe d. l. §. itaq; qui tantum &c.* explicat. *Nam naturâ, dicens, eſt Servus, qui alterius eſſe poteſt, quare & eſt alterius, & qui rationem eatenus participat, quatenus ſentiat, non verò habeat. & in f. d. c. 3. Perſpicuum eſt igitur, eſſe quidem naturâ, alios quidem liberos, alios verò ſervos, quibus & utile ſit ſervire & juſtum.*

*alii ſunt à ſervis, de quibus Jus agit Romanum.*

Ab his verò ſervis naturalibus, ii, qui captivitate fiunt, toto celo diſtant; ſiquidem quoad ſuæ Civitatis jura, ad inſtar mortuorum habeneur, amiſsâ libertate & Civitate *per l. 5. §. 1. 2. & 3. D. de Captiv. & poſtlimin. reverſ.* id quod ex juribus inde dependentibus, ſed ſuſpenſis, evidenter apparet; Si enim captus ſit Pater, jus ſuæ Patriæ Majeſtatis in ſuſpenſo eſt *§. 5. J. Quibus mod. Jus Patr. poteſt: ſolvi:* ſeu uti eleganter *l. 22. §. 1. D. de hered. inſtit.* loquitur, *omnia Jura Civitatis in perſonam ejus in ſuſpenſo retinentur, non abrumpuntur:* itemq; hic captus nihil per uſum ſibi acquirere poteſt, nec cæptam poſſesſionem poterat adimplere: hoc amplius, nec poſtliminiò reverſus recuperabit per uſum dominii acquiſitionem: ac teſtari prohibetur ſive per Teſtamentum, ſive per Codicillos *l. 12. §. 5. D. de Captiv. & poſtlim. reverſ.* Cum verò Prudentisſimi Romanorum humanitatis rationi congruum cenſerent, ne capti cum effectu amitterent, quæ aliàs per ſervitutes amittuntur, uſu enim edocti fuerant, multos ex captivis redire, mutatâ fortunâ, quæ hac in re variè ludere ſolet, illud Gentium conſenſione introductum Poſtliminium in ſuam introduxerunt Rempubl. & cum capti apud hoſtes decederent ſæpiùs, Legem tulerunt Corneliam.

*In gratiam captivorum Poſtliminium receptum & Lex lata Cornelia.*

*Poſtliminii Natura.*

§. 3. Poſtliminium *d. §. 17. J. de Rer. diviſ.* ita circumſcribitur:

Qui

*Qui* (liberi homines) *tamen, ſi evaſerint noſtram poteſtatem, & ad ſuos reverſi fuerint, priſtinum ſtatum recipiunt.*

Ubi Poſtliminii quidditas, ejus ſpecies, ac objectum conſiderandum; de quibus & quibusdam ampliationibus agam paucisſimis. Et primum eſt quod priſtino ſtatu potiuntur, qui hoſticam poteſtatem evadunt & ad ſuos revertuntur; ubi conſultò terminus à quo & ad quem combinantur; nec enim ſufficit, quem hoſtium cuſtodiam & poteſtatem evaſiſſe, ſed & ad ſuos pervenire oportet. §. 5. *J. Quibus mod. J. p. poteſt: ſolvitur*, ubi dicitur: *Qui ab hoſtibus captus eſt, & in fines noſtros poſtea pervenit, poſtliminiò reverſum rectè dicimus & l. 5. §. 1. D. de captiv. Pompon. reverſus Poſtliminiò intelligitur, qui intra præſidia noſtra eſſe cæperit, aut, quod* additur, *ad Amicos noſtros perveniat; & Paulus in l. 19. §. 3. eod. tit.* qui in Civitatem Sociam amicamve aut ad Regem Socium vel amicum venerit: Quibus in locis, *expoſitore Grotio de Jur. B. P. l. 3. c. 9. th. 2.* Amici aut Socii intelligendi ſunt non ſimpliciter, Quibus cum Pax eſt, ſed qui partes in Bello easdem ſeqvuntur. Ad nos qui venerit, Paulus ſubjicit, primùm nomine publico tutus eſſe incipit. Nihil verò intereſt, quomodo captivus reverſus ſit, utrum dimiſſus aut vi vel fallaciâ poteſtatem hoſtium evaſerit; Ita tamen, ſi eâ mente venerit, ut non illò reverteretur; nec enim ſatis eſt, corpore domum quem rediiſſe, ſi mente alienus eſt: Sed & qui victis hoſtibus recuperetur, poſtliminiò rediiſſe exiſtimatur *l. 26. D. de captiv.* Quod verò *d. §. 17. J.* Poſtliminio in bello locum facit, ſupple aliunde, quod idem in Pace ſit *l. 5. §. 2. D. de Captiv.* ubi dicitur: *In Pace quoq; Poſtliminium datum eſt; nam ſi cum Gente aliqua neq; amicitiam, neq; hoſpitium, neq; fœdus amicitiæ cauſâ factum habemus, hi hoſtes quidem non ſunt:*

*Cui etiam in Pace locus eſt.*

*quod autem ex noſtro* ad eos pervenit, illorum fit: & liber homo noſter ab eis captus, ſervus fit & eorum. Idemq; eſt, ſi ab illis ad nos aliquid perveniat: hoc quoque igitur Caſu Poſtliminium datum eſt: An *Tryphoninus in l. 12. Pr. d. l.* ubi dicitur:

*In bello Poſtliminium eſt: in Pace autem his, qui bello capti erant, de quibus nihil in Pactis erat comprehenſum,* aliter ſenſerit, nondum convenit. *Grot. d. l. 3. c. 9. th. 4. fol. 500.* cum Petro Fabro locum corrigit ac ita legit: *De quibus id in Pactis:* Sed correctione non eſt opus (quod diu ante *Wieſenbach. Diſp. 39. ad π th. 19. Gloſſa animadvertit)* ſenſus enim eſt: in Bello & Pace recuperatis eſt Poſtliminium, in Pace autem tunc non erat, ſi de in bello captis nihil fœdere cautum fuerit, quod ex ſubjecta ratione inclareſcit, quia Romani ſpem revertendi Civibus in Virtute bellica magis quàm in Pace eſſe voluerunt: ac licet hæc ratio Romanis excogitata Jus Gentium conſtituere nequeat, quod Grot. d. l. ſcribit: illa tamen ad illuſtrandum Jus Gentium ſatis commoda, nec, quam ut veriorem ſuggerere vult, ratio eſt, ſed opinio

*Ejus Species.* quædam & præſumtio. Devenio ad Species Poſtliminii, de quibus ita *Pompon. in l. 14. D. de Captiv. duæ Species Poſtliminii ſunt, ut aut nos revertamur, aut aliquid recipiamus, cum filius revertitur.* Quod laudat *Grot. d. l. th. 3.* ipſe alias ut in Romanos JCtos invehatur conſvetus. Actus igitur Poſtliminii alius fictitius, alius ſuſpenſivus, ibi fingitur reverſus ac ſi nunquam captus fuiſſet. *l. 12. § 1. D. d. t.* ac ipſi conſervantur, quæ habuerat *l. 19. pr. D. eod.* hic verò pendet Jus Patris in captos liberos, qui redire poſſunt. Tandem

*& Objectum* ſiſtitur in Textu *d. § 17.* Objectum, *ibi, priſtinum ſtatum recipiunt.* Quæ receptio priſtini ſtatus *d. § 5. J. Qu. mod. J. P.* per parallelismum, omnium priſtinorum jurium (intelligo

telligeCivitatem,Familiã,bonaq; de quibus pauló poſt) receptio dicitur, ac exemplorum illuſtratio fit; patet ergò revertens in liberos poteſtatem habet, ac filius rediens recidit in Sacra Patris, quæ in ſuſpenſo reliquerat captivus. Et Servus recuperatur, etiamſi alienatus aut manumiſſus fuerit *l.12 §.7.& ſeqq.D.d.t.* Quibus ſubjungo. Poſtliminii definitionem *in l.19.D.d.t. quod ſit jus amiſſæ rei recipiendæ ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos ac liberos Populos Regesq; moribus, Legibus conſtitutum.* Quæ nullatenus aſpernanda, forté quod efficiens cauſa eam ingreſſa ſit; nam & Cauſalis definitio, bona definitio eſt: Brevior eſt *Grotii d. l. 3.c.9. th.1.* quod ſit *Jus, quod naſcitur ex reditu in limen, i.e fines publicos, V. Habn. adWeſ.b.t.n.* 3. Sed cujus eſſentialia & in illa Pauli definitione *d. l. 19.* habes. *Definitio Poſtliminii.*

§. 4 Alterum remedium, quo captis ſubventum fuit, eſt Lex Cornelia, lata à L. Cornelio Sylla Dictatore & Conſule, cujus Collega fuit Qu. Metellus, ſi Joh. Calvino JCto in Legibus Rom. verb. L. Cornelia de teſtam. fides habenda eſt. Verba Legis exhibet *Julian. in l.12. D. Qui teſtam face poſſ.* quæ hæc ſunt: *Autor L. Corneliæ.*

*Lege Cornelia teſtamenta eorum, qui in hoſtium poteſtate deceſſerint, perinde confirmantur, ac ſi hi qui ea feciſſent, in hoſtium poteſtatem non perveniſſent, & hereditas ex his eodem modo ad unumquemq; pertinet.*

adde *Javolen. in l. 5.D.de inj.rupto teſtam.§.f.J.Q.non eſt permiſſ.fac.teſtam.& §.5.J.Q.m.J. P ſolv. & Ulpian. in Fragm. Inſtit. tb.23.* §.4. cujus integra verba adſcribere lubet. *Si is qui teſtamentum fecit, ab hoſtibus captus ſit, teſtamentum ejus valet: Siquidem reverſus fuerit Jure Poſtliminii: Si non* (in margine eſt; ſi verò) *ibi deceſſerit, ex Lege Corneliana, quæ*

*perin-*

*perinde ſucceſſionē ejus confirmat, atq́; ſi in Civitate deceßiſſet.* Ubi ut vis hujus Legis innoteſcat ſatis, conſiderabo tum Tempus, quo Lex illa lata, tùm ejus ſummam atq́; rationem ac Objectiones, & tandem quid Juris Prudentes per Fictionem intelligant. Sunt qui bello Punico primo (quod incidit in Annum Urbis conditæ CCCC LXXXIX, *Si Chriſtophoro Colero, olim apud Vratislavienſes Hiſtoriarum Profeſſori quàm fidelisſimo, cujus memoria apud Bonos æterna; in ſua Monarchia IV. quæ Romanorum eſt; Rubr. de Populi Romani Juventute n. 1.* fides habenda, uti habenda) natales Legis Corneliæ adſcribunt: Sic enim *Dn. Heigius ad §. 5. J. Q. m. J. P. P.*

*Ejusdem Tempus.*

*Latam hanc Legem*, infit, *primo Bello Punico putat Mar. Salomo: & veriſimile ait Vigl. cum eo bello quindecim millia Romanorum unà cum Imp. Attilio Regulo in Pœnorum manus venerint: poſtquam verò permutationem captivorum disſvaſiſſet Regulus, & multi Romani apud hoſtes morerentur, honori & teſtamentis ipſorum hac Lege ita ſubventum fuit, ut quaſi in acie cecidiſſent, ſic liberi, non ſervi fingerentur.*

Et hæc ex *nominato Dn. Colero* de Regulo adduxiſſe non pigror:

*M. Attilius Regulus Conſul, ſcribente, in Africam ipſam induxit Bellum, quo Duce, tantus terror hoſtis adventus, Pœnis fuit, ut apertis penè portis Carthago caperetur: hic fortisſimus Imperator quaſſatas Duce Hamilcare naves longas tres & ſexaginta accepit; oppida ducenta & Hominum ducenta millia cepit; donec tandem, arte Xantip-*

*pi*

*pi Lacedæmonii mercenarii militis captus in manus Pœnorum deveniret, qui tamen par tanta calamitati fuit: nam nec punico carcere infractus eſt, quippe qui Legatione ſuſceptâ, diverſa quam hoſtes mandaverant, in Senatu cenſuit: poſtmodum tanti Viri voluntario reditu ad hoſtes, nec ultimo ſive carceris, ſive crucis ſupplicio deformata Majeſtas fuit, imò his omnibus admirabilior, quid aliud quam victus de victoribus, atq; etiam, quia Carthago non ceſſerat, de Fortuna triumphavit.*

Ubi hiſtoria de capto Regulo, Conſilium ejus Romanis ſuggeſtum, & reditus ad hoſtes & mors plusquam heroica (quæ ad Legem Corneliam ferendam poterant abundè permoviſſe) nervosè deſcribitur, ac Heigiana verba ſummam Legis perſpicuè notam faciunt; nempe fingit *Summula & Ratio.* Illa, eo momento Patrem eſſe mortuum, cum apud hoſtes quocunq; tempore mortuus eſt, quò ab his caperetur: nec fruſtrà; cum Status Filii, Contractus, teſtamenta, omniaq; ab eo interea, dum captus viveret parens, geſta, vim haberent ac robur, quæ alias ex juris ſcrupulosâ ſubtilitate caſſa forent. Sed videndum, ne hujus Juris *Objectionibus* veritati aperta loca repugnent: *in l. 1. Princ. D. de ſuis & legitim. hered.* in numerum inteſtatorum refertur, qui ab hoſtibus captus eſt, qui, uti ſervus, teſtari nequit, ita nec ejus teſtamentum valere videtur, res enim devenit in eum ſtatum, à quo incipere nequit, cum ut effectum habeat teſtamentum, etiam ad tempus mortis teſtatoris reſpiciendum eſt §. 4. *J. de hered. qualit.* ac inſuper quod obſerves velim probè, quod *in d. l. 1. D. de ſuis &c.* qui captus eſt, non dicatur inteſtatus, ſed tantum pro inte-

ſtato accipi debeat: quæ differunt, ille enim teſtandi facultatem habet, qua hic deſtitutus eſt; qualis eſt captus, quia ſervus factus eſt, quod *Ulpian. in d. l.* probat, quoniam per Legem Corneliam ſucceſſio his defertur, quibus deferretur, ſi in Civitate deceſſiſſet; idq; JCtus indicare videtur, quod captus apud hoſtes moriens, ut ſervus moriatur, cum in deferenda hereditate Lex αὐτοῖς bona relicta proximis addicat. *reſpondetur.* Sed *ex d. l. 1.* aſſeverari poteſt, talem apud hoſtem morientem, ut liberum, deceſſiſſe, tum quod ipſi ab inteſtato ſuccedatur, tum quòd hereditatem reliquerit, quod utiq; de ſervo, quà tali, dicere ἄτοπον atq; παράδοξον erit. Quæ omnia Fictioni Jura noſtra tranſcribunt: Quam an rectè veteres Interpretes & Nobiliores Noviorum definierint, lis adhuc gliſcit. *Fictionis deſcriptio exponitur.* *Weſenbecii* hæc, *Fictio eſt Legis adverſus veritatem in re poſſibili ex juſta cauſa diſpoſitio*, placet. Genus eſt diſpoſitio Legis; ſunt enim Leges fictionum Auctrices, uti noſtra L. Cornelia; item Publiciana; nec excludi oportet Legem ſeu Jus Gentium ſecundarium *ob. l. 19. in pr. D. de captivis*; *ubi Jus Poſtliminii inter Rempublicam Romanam & alias liberas Reſpubl. moribus Legibusq; conſtitutum dicitur*; quæ liberæ Reſpubl. niſi Gentium conſenſu fictio Poſtliminii fundata eſſet, fictiones Romani Juris vix curarent: *adverſus veritatem in re poſſibili.* Si omnia Fictionum in Jure noſtro loca percurras, illæ ſemper ſunt contra veritatem & præſupponunt contrariam; exemplis Poſtliminii atque Legis Corneliæ res fiet clarior; ibi enim retrò creditur in Civitate fuiſſe, qui ab hoſtibus advenit *l. 16. D. de Captiv.* hic verò qui reverſus non eſt ab hoſtibus, quaſi tunc deceſſiſſe videtur, cum captus eſt. *l. 18. D. eod.* Ne verò invehi in Jura Momis occaſio ſit, additur, *in re poſſibili*, quia ad Fictionis quidditatem poſtulatur, ut quod fingitur, non ſit impoſſibile Naturâ vel Lege *per l. 14. D. locati*;

*cati*;

*cati*; uti enim Diſciplinæ ac Artes,ita & Fictio, Naturam imitatur; *arg.§.4.J.de adopt.* ex quo §.4. *Cl Biccius Comment. ad l.3.§.5. D.de A.v. A. P. Quæſt.XII n.7.fol.177.* ita argumentatur: *Quodcunq; impoſſibile eſt ſecundum Naturam, illud etiam impoſſibile eſt ſecundum Fictionem &c.* Siquidem, verba ſunt iterum *Biccii,d.l.p.174. nulla Fictio in tanta ſegete reperitur, quæ contra veritatem pro veritate aſſumat id, quod abſolutè & præter Naturam, extra eos terminos de quibus loquimur, ſit impoſſibile · hæc Biccius. Id quod ex eorum verbis, qui ab hac ſententia diverticulum fecerunt, non obſcurè patet, dum ſcribunt, quod ubi nulla ſit æquitas, ibi nulla ſit fictio, æquitas illa cui fictio ut fundamento rectè ſubſternitur, nunquam admittere poteſt, ut impoſſibilia per Leges & Juris Prudentiam noſtram, quæ ex naturalibus Præceptis Gentium & Civilibus efflorunt §.ſ. J.de J.& J. fingantur.* Faciunt huc inſigniter verba *Alciati* (à quo Weſenb. definitionem eſt mutuatus) *L.1.Præſumt.n.9. Aut quærimus*, ſcribentis, *nunquid lex fingat factum impoſſibile: & dicendum eſt, quod non: aut quærimus, nunquid Lex inducat aliam diſpoſitionem Juris, non fingendo directè ſuper facto impoſſibili, ſed illud præſupponendo; & tunc dicendum eſt, quod ſic, dummodo ſubſit æquitas, & ita procedit. l.10. D. de Statu Hom.* Ne verò in re quavis quid fingamus, & præter mentes Gentium omnium, & Romanæ potiſſimùm Gentis, extendamus Fictionum utilitates, adjecit definitio *ex juſta cauſa*; ſeu quod alii finitores habent, *æquitate ſvadente.*

§. 5. Sunt, qui Juribus Poſtliminii & Legis Corneliæ hodiè etiam, quoad bella Chriſtianorum cum Turcis geſta, libellum repudii mittunt: Inter quos eminet *Covarruv.P.2.Relect.c.peccatum: de Regul.Jur.in 6to §.11.n.6.fol.503.* *Ego, ait, ſanè video, maximam eſſe diſcriminis Cauſam inter bella Romanorum & ea, quæ Chriſtiani adverſus infideles, qui nos undiq; impetunt, gerimus? Quorum quidem infidelium aggreſſiones* *Covarruvia & Wieſenbachio Jura Poſtliminii*

*& L. Corneliæ proſcribentibus omnimodò*

*nos non poſſunt aliqua ex parte eſſe licita, nec itidem defenſiones; cum Provincias Chriſtiani Nominis Tyrannicè & perfidè ac crudeliter occupaverint. Quamobrem, niſi aliud Lege Humana ſtatutum in ſpecie ſit, opinor, erga Chriſtianos captos à Turcis vel Saracenis non eſſe ſervandas Leges Romanorum, quæ de captivis apud hoſtes loquuntur; nec eſſe neceſſarias Fictiones Legis Corneliæ & Poſtliminii: quamvis in his, quæ poſſint in favorem cedere captivorum, æquiſſimum ſit, imò omni ex parte juſtum, eaſdem Leges ſervari. Nec enim Reipubl. Chriſtianæ convenit, præter ipſam captivitatis afflictionem, damnum aliud, aut detrimentum Chriſtianis apud Saracenos aut Turcas captis -rogari.* Scilicet *Covarruvias* perſvaſum habet: Quia Turci ob indebitam Regionum ablatarum poſſesſionem cum Chriſtianis bella gerere nequeant, ſed hos tantùm aggrediantur ac offendãt, quòd jura Poſtliminii & L. Corneliæ captivis Chriſtianis neceſſaria non ſint. Et *D. Wieſenbach. Diſput. 39. ad π. §. 19. fol. 1100.* Sunt alii, qui Poſtliminio & L. Corneliæ adhuc hodie locum faciunt, ſi Chriſtiani cum Turcis bellent: adducam Teſtimonia *Duorum Cl. JCtorum, qui olim hîc Wittenbergæ Jura profeſſi ſunt.* Primum eſt, *Dn. Petri Heigii, Sereniſſ. Electoris & Ducum Saxoniæ Conſiliarii Quondam Eminentiſſimi, atq; Academiæ Wittebergenſis Profeſſoris Publici longè Meritiſſimi, cujus Nomen (ex Judicio Dn. D. Ludovici Perſonii in Sereniſſ. Electori Dn. Chriſtiano II. dicatâ, ac Dn. Heigii Commentario in Inſtitut. Juris præmiſſa, Epiſtolâ* Laudesque ob rarum & pietatis & Juſtitiæ Studium (*quo de Dn Perſonio non tantùm, ſed & de Eccleſia & Republ. atq; de Univerſo Rom. Imperio præclarè promeritus eſt*) *durabunt, vaſti dum ſtabit machina Mundi.* Ita verò *ad §. 5. J. Q. M. J. P. P. ſolu. num. 13. fol 66.* ſcribit: *Hæc autem, quæ diximus, omnia hodiè nonniſi in eo bello, ubi captivitatis Jura locum habent, obtinent, videlicet ubi adverſus infideles & Chriſtiani nominis hoſtes pugnatur: inter Chriſtianos verò nequaquam.*

*Opponuntur duo Juris Profeſſores Wittenbergenſes.*

Igi-

*Igitur captus à Turcis & infidelibus, ſi revertitur, Jure Poſtliminii omnia ſua recuperat, perindè atq; ſi ſemper in Civitate manſiſſet: Si poſt deceſſerit apud hoſtes, ſtatim cum captus eſt, deceſſiſſe fingitur: atq; hinc traditum eſt, interim dum apud hoſtes is vivit, bonis Curatorem dandum eſſe l.3. & l.4 C. de Captiv. & Dn. D. Joh. Schneidewin: qui,* cenſente Dionyſio Godofredo Epiſtola Lectori nuncupatâ & Schneideviano Commentario *ad Inſtit.* præfixa; *in hoc, abſit invidia verbo, cæteris Scriptoribus comptiſſimis videtur præferendus, quod in uſu poſita maximè, quæq; in ipſis rerum obtinebant argumentis, decerpſerit: nec dubito, quin ſi Vir tantus vitâ paulò longiore uſus fuiſſet, pleniores ſimul & meliores Commentarios haberemus;* qui itidem *ad d. §. 5. J. Q. M. J. P. P. ſolv.* ait: *Bello capti quod Turcis indictum eſt, efficiuntur capientium.* addo *Bachov. ad Treutl. vol. 1. Diſput. 24. th. XI. lit. f. fol. 452: Si qui hodiè, ſcribentem, ex Turcis, aliisq; infidelibus aut Barbaris, cum quibus juſtum Bellum eſt, capiantur, ii jure rediguntur in ſervitutem, & hactenus nec hodie ſervitus ſublata eſt.* Cum quibus & ego transeo, ſtatuoque à Chriſtianis Turcos captos, Illorum ſervos eſſe, & contrà; & quod præſentis inſtituti eſt, Poſtliminium & L. Corneliam eo modo, & iis terminis, de quibus loquor, hodienum ſalva & illibata eſſe. Huic verò ſententiæ *cum Dn. Heigio* fundamenti vice captivitates atque ſervitutes ſubſterno, Turcis adverſus Chriſtianos, & contrà; frequentatas. De Turcis audi verba Receſſus Imperii, de Anno 1547. §. Und wiewol nun etc. wie daß die Teutſche Nation ſich des Türckens entweder mit Hülffe Göttlicher Gnaden erwehren/ und ihn aus Hungarn vertreiben/ oder ſich in unwiederbringlichen Abfall ihres Chriſtlichen Glaubens und Namens/ darzu verterben ihres Vaterlandes/ ſchmähung ihrer Weiber und Kinder/ und in Tyranniſche/ Viehiſche Dienſtbarkeiten führen

*Probatur, & Jura illa hodienum, uſu florere.*



laſſen

laſſen müſſen/ & in fine §. dem Türcken mit einer Schlacht obzuſiegen/ oder in einen Abzug oder Flucht zu dringen/ durch welchen Weg dem Chriſtlichen Volcke geholffen/ die Stadt Ofen und Königreich Hungarn erobert/ die anſtoſſende Türckiſche Lande ſo zum mehren theil noch Chriſten ſeyn/ zu Abfall von Türcken verurſacht/ und aus der erbärmlichen Gefängniß des Tyrannen erlöſt. Hic in dubium incido, quo non validius alterum: ſc. quo Jure Turci Chriſtianos tùm in Bello, tùm extra Bellum in ſervitutem vindicare posſint? non propter Religionem, dum ſuam ſolam veram putant, Noſtram autem erroneam, & eam infinities exagitant atqꝫ blaſphemant, quia juxta *Dn. Arniſæum in Relectione Politica libr. 1. c. 2. ſect. 5. num. 57. pag. 127.* hæc contra jus Naturale & Divinum ignorantia affectata & inexcuſabilis eſt. Non propter Regionem dilatandam; ſiquidem τῷ Κυρίῳ cui Jus Armorum ineſt perpetuò, Turcicus Tyrannus deſtitutus dicitur, hinc audit Mundi latro & maximus pirata. Non meum fecero, an propter gravem Turcis illatam à Noſtris injuriam arma inferre liceat, nec abnuo, ipſis Turcis & aliis Infidelibus legitimos poſſe eſſe Reges, queis Jus belligerandi demere velle, violentum foret. Sed fortè in *Dn. Arniſæi, d. l. n. 59. fol. 128.* quis deſcendere poſſet caſtra:

*Illi* (Turci) ſcribentis, *partim Jus in armis ferunt, & patientiam nobis necesſitate exprimunt, partim ex Jure Civili noſtrum conſenſum & ultroneam ſubjectionem allegare habent. Nam quia de vi Turcorum conſtat, nec tamen parcimus nos in diſcrimen agere, non aliâ quàm noſtrâ voluntate perimus.*

Ubi

Ubi nullus conceſſerit, ultrò nos, ut ſervi ſimus, Turcis nos dedere: arcere volumus noſtris armis ab Eccleſiis Rebusq; publicis, tectisque noſtris imminentem incubum, ut halcyoniis noſtris invigilemus; quod vero captivi ducamur, præter voluntatem accidit: miſſam igitur hanc pro Turcis facio Cauſam, cum de ea ipſe dubitet *Arniſæus*, atque admittere me oportet jus quoddam Turcis in armis poſitum: faciunt huc iterum, quæ *Dn. Arniſæus d.l.n.54.* habet:

*Turci Jure quodam Armorum captivos Chriſtianos ſervos faciunt.*

*Fit* (ſc. quia jura bellorum indagatu perdifficilia) *ut Pacis Publicæ, & majoris mali vitandi gratia, Jus Belli cogamur indulgere non tantùm juſtis, ſed iniquis bellatoribus. Nam bello vi geritur res, ut ait Ennius, & qui hoſti non parcit, tantundem ſuis nocet, quàm hoſtibus, per Legem talionis par pari relaturis, ſicut igitur uſucapionem excuſare ſolent Legiſtæ, per utilitatem publicam, ne dominia rerum maneant incerta: ita ſervitutis Jus ex cauſa multò penſiore concedendum etiam injuſtis hoſtibus, partim quod illud mutare non poſſimus, partim quod noſtrorum ſaluti & utilitati ſeu paci publicæ non aliter conſulere liceat. Sed in foro Conſcientiæ, quid de injuſtâ ſervitute reſponſuri ſint Domino Exercituum, ipſi viderint.*

Habent igitur Turci, ipſis Chriſtianis ſinentibus, jus quoddam Captivitatis atque ſervitutis, in captos Chriſtianos; ac in eosdem captos nos Chriſtiani, jure talionis meritisſimo, ac quidem uno eodemque bello, quo

*In uno eodemq; bello ab utraq; parte capti in ſervitutē*

utriusq;

*conjiciuntur.*

utriusque partis capientis capti fiunt ſervi. Sed quæſo, poteſtne ex parte Noſtratium Chriſtianorum, & ex parte Turcorum unum idemque bellum eſſe juſtum? de qua re ſummi JCti contenderunt, ac ipſis necdum lis perorata eſt. Cum *Grotio* facio, qui de *J. B. P. l. 2. c. 23.* τὸ Juſtum in ſpeciali acceptione diſtribuit, ut vel ad opus ſeu rem ipſam, vel ad operantem pertineat, ac ibi utrinque bellum juſtum eſſe non posſit, quia facultas moralis ad contraria, puta ad agendum & impediendum non detur per rei ipſius naturam. Operans verò ſeu bellans uterq; juſtè belligeret, propter probabilem ignorantiã, quæ agentem in bona fide ſtatuat; hæc Ille. ni ego fallor, hæc operantium juſtitia oſtendi poteſt illo Juramento Calumniæ, quod tritura Fori notisſimum eſt; actor enim ſub primordio negotii jurat, quod, non animo calumniandi, litem moveat, ſed bonam ſe fovere cauſam putet, & reus jurat, ſe bona inſtantia, i. e. ut *Theophil. Paraphraſtes Inſtit.* habet: ὀρθῷ συνειδότι recta conſcientiâ, vide Novell 50. ad contradicendum uti: ac utriusque Advocati ſe juſtam credere clientulorum cauſam, ſacramentum præſtant *v §. 1. J. de pœn. temerè litigant.* in qua fide & perſvaſione perſtant ſinguli, usque dum ſententia terminalis fuerit lata: ad eundem modum abſurdum non eſt, ut propter ancipites ſententias utraque bellatrix pars non injuſtè belligeret; nec rejicio rationem *Andreæ Alciati lib. 2. Paradox. c. 21. n. 6 quod quia bella ſunt ex Jure Gentium orta, utrinq; juſta ſint*, quoniam Gentium Jus eſt Juſtum, id enim natura per conſequentiæ illationem certam docuit *§. 2. J. d. J. N. G. C.* Eſto Exemplum de duabus liberis Rebuspublicis, unam regionem aut Civitatem, juſti tituli interventu & posſesſionis, quæ memoriam hominum excedit, ſibi vindicantibus. In quam rem cito verba *Ludovici Molinæ de I. & I. Tr. 2. Diſp. 103. n. 11. fol. 422.*

*Quia illud utrinq; juſtum. ſuo modo eſſe poteſt.*

*quod ratione ac exemplo probatur.*

*& Autoritatibus illuſtratur.*

*Quando*

*Quando utraq; Pars ſibi perſvaderet, rem absq; ullo omninò dubio ad ſe pertinere, alteramq; partem non ſine culpa non velle à lite deſiſtere, ſaltem quia vel non quantum oportet, vel non ſine paſſione vult rem expendere, certè neutra teneretur vel transactionem, vel Judices Arbitros admittere: eò quod unaquæq; earum ſupremus ſit Judex adverſus alteram eâ in parte neq; tenetur cedere juri ſuo: Atq; hac ratione poteſt ſæpè Bellum eſſe juſtum formaliter ex utraq; parte.*

Calculum igitur *Dn. Ungepaueri Ex. 2. ad J q. 3.* meretur hic loci diſtinctio, inter opinionem, quæ latè regnat, & inter veritatem; adi, ſi plura deſideras, *Dn. Arniſæ. Relect. Polit. l. I. cap. 3. num. 55. fol. 126.* Firmatâ brevibus ita utriusque bellantis Juſtitia, ſponte ſua fluit inde, & Chriſtianos & Turcos ex eodem bello lucrari, ac ex alterutra parte captos jure ſervos eſſe, ac hodienum Poſtliminii Jura & L. Corneliæ, juxta Terminorum aptitudinem, uſu florere & neceſſaria eſſe. Nec difficile erit, *Covarruviæ* ex dictis reſpondere, ac ex ſuis verbis oſtendere, quod ipſe huic ſententiæ, utut invitus, accedat.

§. 6. Illa verò Poſtliminii & L. Corneliæ Jura ignorantur & exulant in Chriſtianitatis Orbe, quoniam Chriſtianus miles à Victore Chriſtiano captus, ſervus non fit: Lubet iterum pro hac re teſtimonia *Dn. Heigii & Schneidewin.* citatis ſuprà locis laudaſſe; *Sic Ille:*

*In bellis Chriſtianorum ignorantur illa Poſtliminii & L. Cornelia Jura.*

*Inter Chriſtianos*, ſcribit, *capti libertatem non amittunt.*



*& Hic*

*& Hic:*

> *Hodiè capti in bello* (à Chriſtianis agitato, quod ex linea 3. ſequ. inclareſcit) *libertatem non amittunt.*

*Quia deſuetudine abolita ſervitus.*

Convenit verò inter Hiſtoricos & Juris Interpretes, non Lege aliquâ aut Sanctione pragmatica, ſed conſenſu utentium tacito, remiſſam fuiſſe captis ſervitutem. Non enim auſcultandus eſt *Treutl. Volum. 1. Diſp. 24. theſ. XI. lit. f.* qui eandem circa Caroli M. tempora planè abolitam eſſe, cum Bodino, perſuaſum habet: etenim, verba ſunt *Bachov. ad Tr. d. l. p. 451. Ipſe Bodin. cit. loco ſcribit, quod Lotharius Caroli M. nepos ſervos ad pileum vocaverit, & quod poſt annum 1200. ſervi in Italia fuerint, & circiter ea tempora ſervitus in Rebuspublicis Chriſtianis deſierit: Conſtat autem Carolum M. circa Annum Chriſti 800.* (Calviſius in Chronolog. Tit. Longobard. Regnum in Italia, 770. ponit, cum quo Chriſtoph. Colerus in ſua Quarta Monarchia Sect. V. de Imperat. Germanicis, in Vita Caroli M. convenit) *floruiſſe & imperaſſe. Verius eſt & probabilius, non ſimul & ſemel, ſed ſenſim, eò deventum, non in Occidente tantùm, ſed & in Oriente: quomodo jam olim ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis apud Græcos, Bulgaros & Illyrios receptum fuiſſe, ut victis & captis ſpolia auferrent, in ſervitutem non adducerent, ſcribit Niceph. Gregoras lib. 4.* Hæc ille: *v. Grot. de J. B. P. l. 3. c. 7. §. 9. fol. 493. Dn. Hahn ad Weſenb. π. de manumiſſ. num. 1.*

*Cujus Rationes non vere adferuntur.*

In indagandis ſervitutis hujus, quæ deſiit, rationibus, variant Dd. Placet quibusdam, quod bella Chriſtianorum, pro Civilibus habeantur, ac non ſatis juſta videantur, cum Univerſus Populus Chriſtianus ſit Romanus: Quam ſectam profitentur Anteſignani *Alciatus & Bachovius:* Ita enim *Ille ad l. 118. D. de V. S. n. 2. fol. 246.* habet:

Ai

*At cum Antonini Conſtitutione omnes, qui in Orbe Romano erant, Cives Romani effecti ſint, ſequitur, omnes Chriſtianos HODIE Populum Romanum eſſe: Quo jure exciderunt, qui in Aſia, Africave ceteriſq; Provinciis, ſedem CHRISTI non agnoſcunt: hi enim hoſtes Populi Romani ſunt & Civitatis Romanæ Jus amiſerunt: Hinc eſt, quod cum Turcis & Saracenis indictum nobis eſt bellum: Suntq; vicisſim Jura Poſtliminii, & capti in Bello efficiuntur capientium. At inter Chriſtianos aliud eſt, cum enim ex Lege CHRISTI omnes ſint fratres, quæ inter eos moventur arma, PLUSQVAM CIVILIA ſunt, unde Jus Poſtliminii in his non eſt.*

& hic ad *Tr. Vol. 1. Diſput. 2. th. 2. lit. f.* ibi, *vel quia inter eos non juſtum Bellum: quod Diſput. 24. th. XII. f. repetit.*

In eo verò non poſſum non laudare *Alciatum*, quod pro exiſtentia hodierna Romani Imperii acriter pugnet. Cavillatur *Jacob. Godofr. Tr. de Imperio Maris cap. VII. fol. 39.* *(Imperium Romanum adbuc hodie exiſtit.)*

(Provinciæ, quæ Romani Imperii fuerunt) *certè, ſcribens, extincto jam Romano Imperio, in propria Regna, ditioneſq; abierunt ſeu conſurrexerunt.*

Cum huic Imperio divina Oracula cum ævo perennaturam felicitatem pollicita ſint, & quod, quam diu Sol erit, durabit: ac eſto, potisſima olim membra avulſa eſſe: nec enim loco circumſcribitur, ſed orbem pervagatur

Imperium; ac pleni ſunt Hiſtoriarum libri & res loquitur ipſa, quod in Carolum M. ut Imperatorem Germanicum Jus & Axioma Imperii Occidentalis translatum fuerit. Audi *Lupoldum de Babenberg de Juribus Regni & Imper. Rom. c 4 fol. 176. Secundus effectus ejusdem Translationis eſt, quod Virtute ipſius, Carolus M. & ſui Succeſſores receperunt Poteſtatem Imperialem in omnibus Regnis & Provinciis & Terris præſertim occidentalibus, quæ non erant ante tempus dictæ Translationis ſub Poteſtate dicti Caroli, & etiam petendi & exigendi à Regibus & Principibus Regnorum, Provinciarum & Terrarum hujusmodi ſubjectionem Imperatori debitam, quam Poteſtatem priùs non habebant: ita quod, ſicut olim & Populus Rom. Jus & Poteſtatem Imperialem tranſtulit in Imperatorem. ſic & tunc ſe tempore dictæ Translationis, jus & Poteſtas hujusmodi in Carolum & ſuos in Regno & Imperio Succeſſores de Græcis Imperatoribus eſt translata.*

*& refutantur illæ indebitæ rationes.*

Sed ilicet examinemus *Alciati* rationes, quæ talo nullo conſtant, ſed monſtri quid alunt. Ait: *omnes Chriſtianos HODIE Populum Romanum eſſe*, i. e. quod totus contextus evincit, Romani Imperii faſcibus ſeſe ſubmittere, qui Chriſtiani ſunt: id verò oppidò erroneum eſt; hærent & nidulos habent in Turciâ, Indiâ, Moſcoviâ, aliis disſitisſimis locis, qui CHRISTUM profitentur, queis, ut Imperatori noſtro parerent, ne per ſomnium quidem in mentem venit; ac, ubi Cancellariarum, ſubjectionum diplomata. i. e. ut cum *Imper. in §. 6. J. d. J. N. G. C.* loquar: Legem Regiã, qua in ſe illi conceſſerunt Imperium & Poteſtatem, viderit *Alciatus*? Papiſſat idem, dum ſtatuit Aſiæ, Africæque incolas hoſtes eſſe Populi Romani, quod ſedem CHRISTI non agnoſcant. Infrunita enim prærogativa eſt & primatus, quem in omnes Eccleſias Orbis ſibi affectat ſepticollis

Præ-

hoc abſurdi parturit Alcia-tiana opinatio, quod omnes Chriſtianos una eademque Majeſtate regi, ſibi perſvaſisſimum habeat; etenim Regibus atque Rebuspublicis Chriſtianis ſummam Poteſtatem ac τὸ κύριον abjudicare velle, ne dicam temerarium & dictu inauditum eſt, ſed morte piandum piaculum. Eſt quidem Non Nemo, qui Soli Imperatori Romano Majeſtatem propriè & ſtrictè ſumtam transſcribit, verum enim, cum & Alii Chriſtiani ſint, qui DEO referunt, quod regnent, ac ipſæ Leges ut *l. 7. pr. & §. 1. & l. 19. D. de captiv. & poſtlim.* aſſerant, eſſe præter Romanum Imperatorem, alios Liberos Populos Regesque (Germanorum, Parthorum *l. 24. inf. D. de Captiv.*) ſatis confutatur, quod primo intuitu plauſibile viſum fuit. Alterum *Alciati* (*cui* ſe Bachovius ſociat) dogma intolerabilius eſt, quod Bella Chriſtianorum plusquam Civilia habet. Optandum quidem, ut ne in ſe arma Chriſtiani expediant, ſed cum fiat non rarò, ut repetendæ ſint ablatæ poſſeſſiones, gravesq; injuriæ vindicandæ, arbitros verò hi, qui læſerunt, declinẽt nimiùm quantùm, dum, quicquid egerint, juſtè factúm credant, hic utique arma expedienda & ferro dimicandum, id quod juſtum eſſe bellum, cum à Majeſtate ob juſtas ſuſceptum ſit cauſas, quivis dixerit; ac ſi ſolius Imper. Romano-Germanici Jura, quæ Magnitudini Illius olim Imperii aut paria ſunt, aut eadem ſuperant, penſi habes, bellandi Jure deſtituti non ſunt Principes & Status tùm inter Se, tùm etiam reſpectu Chriſtianorum Imperio noſtro non parentium. Dum à rejiculis rationibus recedo, quas Juſtas atque veras

*Chriſtiani Principes jure bellandi gaudent.*

*abolita ſer- vitutis vera ponuntur cauſa*

reor, nunc addendæ: potiſſima harum & quæ utramque paginam facit, à veneratione Chriſtianæ Religionis petitur; audi perorantem ſummum JCtum *Balduinum in προλεγομένοις. Tit. J. de Jure Perſon. num. 12. fol. 32. Dictum certè eſt à Noſtris JCtis non malè, contra Naturam videri, inhumanam illam & crudelem ſervitutis ſpeciem, quâ mancipium confertur brutis animantibus, vixq; hominis nomen retinet. Unde & RELIGIONIS CHRISTIANÆ CLEMENTIA hanc tandem ſummovit. Nam & abſurdum erat inter Chriſtianos eodem Pretio redemtos, in eandem aſſertos libertatem & ad eandem vocatos hereditatem, manere barbaram illam & immanem ſervitutem, qua homo poterat homine abuti, ut pecude: & quæ jam nimis exceſſerat omnes fines naturalis rationis, pudoris vel honeſtatis adeoq; ſui officii metas.* Huc non adeò indebitè trahitur, quod *l. 1. C. ne Chriſtian. mancip. & c. 1. X. de Judæis* conſignatum eſt, Quod nefas ſit, quem CHRISTUS redemit, blaſphemum CHRISTI in ſervitutis vinculis detinere; utut enim uterque textus aſſerat Chriſtianis Dominis in ſervos Dominationem; illa tamen à nefario ducta ratio ſat roboris habet, quod moribus utentium à ſervitute abiri potuerit, ac cum, qui adhuc gentiliſmo effaſcinati erant, non benigniter tantùm, qui CHRISTO nomina dediſſent, tractari perſpicerent, ſed eo ipſo, abjecto ſervitutis jugo, in libertatem vindicatos eſſe, ad eandem Chriſtianam Religionem amplexandam prolectabantur facilè: quæ altera poterat eſſe ratio ex priori fluens, & eidem fortiter adminiculans. Ipſe Mahumed & Sectæ Turcicæ Sator & Autor, Lege latâ ſuæ Religionis homines omnes pronunciavit liberos, quod ſe ſedulò obſervaſſe tradit *Busbequ. Ep. 3.* Una igitur omnium ſententia eſt, Servitutem, ac inde enata Captivitatis & Poſtliminii Jura,

à Fo-

à Foris Chriſtiados receſſiſſe: nec ſervitutem Nobis Poſtliminiò eſſe revocandam cum *Weſenb. n. de Captiv. n. 1.* *ego ſtatuo.*

*Servitus Romana non eſt revocanda.*

Dum ex parte *Weſenbecii* ſeriùs ſtare volo, in antecesſum moneo, quod, per apologeticum ejusdem ſententiæ, id à me non intendatur, quaſi gradus perſonarum in Politia & Civilia diſcrimina aut confundantur, aut tollantur, ſiquidem uti neceſſarius uſus Oeconomiæ & Politiæ, ita & uſus Dominorum & Servorum ad Oeconomiæ & Politiæ tuitionem: Illam igitur ſervitutem reducendam in Noſtras Reſpubl. quæ ab humanitate aliena eſt, disſvaſi, qualem Romanam fuiſſe, Libri Juris Noſtri pleni ſunt, Talem in ſua Κρατίᾳ apud Judæos JEHOVÆ diſplicuiſſe, planum reddunt hæc *Weſenbecii* verba:

*Quibus alii alios barbarum in morem ſibi ſubjiciunt.* Juſtum verò à Chriſtianis Principibus geri poſſe Bellum, ex ipſo Weſenbecio, in Conſilio Ejus 202. Part. V., modò rationes dubitandi & decidendi accuratè penſitaveris, apparet; nec ea propter reduci oportet Servitutem: Fuiſſe quædam Chriſtianorum Bella diſſenſiones Civiles, ubi Jura Captivitatum & Poſtliminiorum non ſunt, *l. 21. D. de Captiv.* aut injuſta quædam bella laniænas, i.e. ubi innocuo ſanguini litatū, credidit ille magnus JurisConſultus: quamvis & in Bello juſtisſimo quàm ſæpè fiat, ut placari nequeat miles, niſi hauriendus ſanguis, laniandaque viſcera hominum præbita fuerint. Textus Biblici reſponſum Cl. Ludvvelli in Notis ad Weſenbec. d. l. nondum tamen divulgatis, non ferunt, nec enim ideò jus dominandi inter Judæos fuit denegatum, quia ſub unâ Republ. viveretur, ſed quia terra à DEO ipſis incolenda tradita fuit, cui terræ Leges,

ges, quas viſum, imponere voluit DEUS Αὐτοκράτωρ: ac *ille Locus Levit. XXV.* ſæpius hanc rationem inculcat, quod Judæi Fratres eſſent; quæ ratio perbella & ad Chriſtianos in diverſas diviſos Reſpublicas valdè accommoda: caveas verò velim urgere, reducendam eſſe ideò ſervitutem, quod CHRISTI Nomen profitentes, alia atque alia ſibi conſtituerint Regimenta; quoniam & Germanis cupis reduci illam, qui tamen in una victitamus Republica. Nihil ergo igitur, de quo gloriari habeant, de Romanorum Juribus Captivitatis & Poſtliminii, Chriſtianis belligerantibus remanſit, quàm quod in horum locum ſuccenturiatum ſit Jus tantum captivos cuſtodiendi, donec lytron exſolvatur. & hic deſino canens

*Vices verò ejus lytron repreſentat.*

laudes

DEO LIBERTATIS AUTORI.